

per apostolica scripta mandamus. quatinus si est ita. dictos Incolas ut deinceps integre decimas ipsas exoluant, et de subtractis debitam satisfactionem impendant Archiepiscopo memorato. monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse. duo uestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Anagnie. IIII. Non. Nouembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Blybullan hänger i segelgarnssnöre.

269.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Tillståndsbref för Biskopen i Linköping, att till Kaniker och andre högre andlige förordna personer, som dertill hafva erforderliga egenskaper.

B. 3: 22.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei uenerabili fratri. Episcopo lincopensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut petitionis tue nobis series declarauit ecclesia lincopensis a tempore cuius non extat memoria nullos canonicos habuisset. nobis humiliter supplicasti vt in ea creandi canonicos & eciam alias dignitates & cum ad hoc sufficientes habeat facultates licenciam tibi concedere dignaremur Nos igitur prosequentes tuum pium propositum in hac parte tibi de quo in domino plenam optinemus fiduciam licenciam concedimus auctoritate presencium postulatam. Datum anagnie IIII:to Non. Nouembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

270.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s befallning till Biskopen i Linköping att förmå invånarne i Stiftet erlægga tionde.

B. 3: 23.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri . . Episcopo lincopensi Salutem & apostolicam benedictionem. Ad audienciam nostram te referente peruenit quod homines in tua dyocesi constituti minime attendentes quod vniuersorum dominus in signum vniuersalis dominij sibi decimas reseruauit eas ecclesiis quibus debentur denegant soluere pro sue libito voluntatis. Cum igitur predictas decimas retinere non possint absque suarum periculo animarum. ad quas soluendas ecclesiarum ministris tenetur fidelis quilibet veritate iubente predictos homines rogandos duximus & monendos dantes eis nostris litteris in mandatis ut decimas ecclesiis quibus debentur iutegre sine difficultate persoluant. Ideoque fraternitati tue per

apostolica scripta mandamus quatinus si prefati homines mandatum non curauerint adimplere. tu eos ad id monicione premissa per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellas. Datum anagnie quarto non. nouembris pontificatus nostri anno sexto.

271.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Bref till samtliga invånarne i Linköpings Stift angående tiondens noggranna utgörande till kyrkorna.

B. 3: 23.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis vniuersis hominibus dyocesis lincopensis salutem & apostolicam benedictionem. Venerabili fratre nostro lincopensi episcopo accepimus conquerente quod uos minime attendentes quod dominus vniuersorum in signum vniuersalis dominij sibi decimas reseruauit eas ecclesiis quibus debentur soluere pro vestre voluntatis libito denegatis. Cum igitur predictas decimas retinere non sine animarum vestrarum periculo valeatis ad quas soluendas ecclesiarum ministris tenetur fidelis quilibet veritate iubente. vniuersitatem uestram rogandam duximus attentius et amonendam per apostolica scripta uobis mandantes quatinus decimas ecclesiis quibus debentur integre persoluatis alioquin eidem episcopo per litteras nostras iniungimus ut uos ad id per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellat. Datum anagnie IIII:to Non. nouembris Pontificatus nostri anno sexto.

272.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Skrifvelse till så väl det högre som lägre Presterskapet inom Linköpings Stift, med uppmaning att på allt sätt understödja och befordra den under hand varande Domkyrkybyggnad, hvar till medel tröto.

B. 3: 24.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis vniuersis ecclesiarum prelati & clericis aliis per lincopensem dyocesi constitutis salutem & apostolicam benedictionem Venerabilis frater . . lincopensis episcopus nobis humiliter supplicauit vt cum ipse de opere sumptuoso & nobili edificare inceperit ecclesiam lincopensem & ad hoc proprie sibi non suppetant facultates ad prestandum eidem. pro consumacione tanti operis gratum subsidium uos excitare nostris precibus & litteris dignaremur. vt igitur exhibitum matri subsidium per elemosine fructum filios exoneret a peccatis vniuersitatem